



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 98. Parlamenti edictum pro executione primæ suæ sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI. nec illius responsum perciperetur, præ-
A.C. 1525. cipiendum, ut ejusmodi avocatio exe-
 cutioni haud daretur, nec litigantes
 causam suam in alia quam Parlamenti
 Curia prosequerentur, nullatenus vero
 coram supremo Senatu sese sisterent, ni-
 si causa sua cadere, & centum auri
 marcarum multam pendere mallent.

§. XCVIII.

*Parlamenti edictum pro executione
 primæ suæ sententiæ.*

Die tertia Julii eodem anno Parlamen-
 tum omnia tribunalia convocavit,
 atque edicto sanxit, insuperhabita, quam
 Regina præcepisset, evocatione senten-
 tiam in causa Senonensis Archiepisco-
 patus, necnon Abbatiae S. Benedicti ad
 Ligerim nuper latam omnino executio-
 ni dandam esse. Præterea Generali Pro-
 curatori ac litigantibus inhibuit, ne ad
 aliud tribunal causam deferant, indi-
 ctis poenis supra relatis: Die vero vige-
 sima septima ejusdem mensis Procura-
 tor Generalis graviter contra Parlamen-
 tum querebatur, eo quod in Aurelianen-
 si urbe edictum fuisset promulgatum,
 quo ejus sententiæ in causa Abbatiae S.
 Benedicti stare interdicebatur. Post hæc
 perceptis istius querelis, omnes Curiae
 simul congregatae decreverunt, datis
 literis

literis Reginæ supplicandum, ut Cancellarium ad Parlamentum ablegaret, cum maximi momenti res esset, quæ eidem communicaretur. Perscripserunt iidem ad ipsum Cancellarium, ac præterea quosdam nominabant Consiliarios, qui literas, ut vocant, evocatorias necnon alias ab eodem Cancellario præter consuetudinem signatas, atque emissas discuterent, simulque responsum ab eo perciperent super articulis, quos ei Procurator Generalis exhiberet. Denique decernebant, eundem in jus vocandum esse, nisi ad diem decimam quintam Novembris ultro in Curia compareret.

saecul. XVI.
A.C. 1525.

§. XCIX.

Causa Aurelianensis Abbatiae ad S. Euortium.

Utrique huic causæ haud incongrue subijcimus tertiam, quæ hoc quoque anno mota fuit: cum enim Abbas monasterii Aurelianensis ad S. Euortium decederet, ac alius subrogaretur, Regina pro parte sua Ludovicum Carthusianum nominavit, inhibuitque Parlamento hujus causæ cognitionem, quam sibi reservaverat: Nihilominus ab hac Reginæ sententia appellatio interponitur, illamque Parlamentum ratam habet. Hanc mandati sui vilipensionem

Pisson. l. c.
p. 749.

M m 4

Regi-